
PALAESTRA



N. 5 1932


INDEX RERUM NUM. 5:

In tegumento: CURTIUS DESILIENS IN ABYSSUM

Anno ab urbe condita 393 post terrae motum in medio foro Romano alta remansit fissura, quae nullo modo nisi liberali sacrificio humano oblata compleri poterat. Curtius, egregius iuvenis, ipse se obtulit proque patria vitam sacrificavit. En Livii (VII 6) narrationem:

„Eodem anno seu motu terrae seu qua vi alia forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur; neque eam voraginem coniectu terrae, cum pro se quisque gereret, explere potuisse prius quam deum monitu quaeri coeptum, quo plurimum populus Romanus posset: id enim illi loco dicandum vates canebant, si rem publicam Romanum perpetuam esse vellent. Tum M. Curtium, iuvenem bellum egregium, castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum quam arma virtusque esset? Silentio facto templa deorum immortalium, quae foro imminent, Capitoliumque intuentem et manus nunc in caelum nunc in patentes terrae hiatus ad deos manes porrigentem se devovisse; equoque deinde quam poterat maxime exornato insidentem armatum se in specum immisisse; donaque ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum congestas, lacumque Curtium non ab antiquo illo Titi Tatii milite Curtio Mettio, sed ab hoc appellatum“.

Quod egregium Curtii exemplum milites Poloni saepenumero in bello sunt imitati ultro vitam abicientes, ut patriae atque honori consulerent.



PASSIO D. N. SIGISMUNDI III

Quas contentiones Sigismundus III Vasa, rex Poloniae (1587-1622), cum nobilium effrenata licentia sustinuerit, historici satis exposuerunt. Multo minus nota sunt scripta, quibus adversarii hinc illinc invicem se petiverunt. Acerbas obiurgationes, argumentationes iuridicas, satiras denique licet ibi legere. Ex his memoria solae dignae videntur satirae, utpote quae et nos forma sua ac salibus captivent. Exemplum talis satirae — quae proprie est parodia biblica — hic propono ex codice Cracoviensi 2390 p. 791 saec. XVII: satiram hanc, quae devictos regis adversarios deridet, composuit cancellarius regis Krzycki (Kryczki). Quia non omnes lectores ad manum habent Biblia, eorum commoditati consulens ex adversa fronte imprimi feci capita evangelii secundum Matthaeum, quae auctor in suum convertit usum.

Passio domini nostri Sigismundi III regis Poloniae secundum servum eius et fidelem subditum compatientem.

In illo tempore, videlicet Iulii 20, dixit rex senatoribus suis: „Scitis quia post sextiduum Rokosz fiet et filius Ioannis regis Sueciae demortui comminabitur, ut regno suo privetur et occidatur".

Tunc congregati sunt principes Rokoszanorum et praecipua capita haereticorum senioresque populi seducti ab ipsis in locum destinatum, qui dicitur Pokrzywnica et consilium fecerunt, ut eum dolo tenerent et regno spoliarent. Dicebant autem: „Non ita simpliciter, sed sub specie vindicandae libertatis id faciamus, ne forte tumultus fieret in populo inauditus".

Cum autem rex esset in Vislica in domo praecipua cuiusdam senatoris, accessit ad eum Żołkievius, habens secum milites sollertissimos ex finibus Podoliae deductos, qui ei auxiliarentur. Audientes autem Rokoszani indignati sunt dicentes: „Ad quid adventus militatus hic? Potuerunt enim fines Podoliae custodire, ab invasionibus Tatarorum defendere et hic non depopulari bona nobilium". Sciens autem haec rex respondit illis: „Quid molesti estis his militibus? Opus enim bonum operati sunt in me. Nam semper hos milites in finibus Regni habere poteritis: hic autem in visceribus Regni non semper habebitis. Milites enim isti mandatis meis obtemperaverunt. Amen dico vobis, ubicunque praedicatum fuerit hoc factum ipsorum in hoc regno, ob amorem nostrum et Reipublicae id fecisse dicetur".

Passio Domini nostri Iesu Christi secundum Matthaeum. *Cap.* XXVI. — Et factum est, cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: „Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur“.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; et consilium fecerunt ut Iesum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem: „Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo“.

Cum autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: „Ut quid perditio haec? Potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus“. Sciens autem Iesus, ait illis: „Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me; nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim haec ungentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius“.

Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum; et ait illis: „Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?“ At illi constituerunt ei triginta argentos. Et exinde quaerebat opportunitatem ut eum traderet.

Tunc unus ex Rokoszanis qui dicebatur Diabolus Dei omnipotentis et Ecclesiae ipsius inimicus, sedens in medio ipsorum ait illis: „Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? Hunc enim hominem per vivum deum ego pro rege amplius non agnosco“. At illi omnes constituerunt intra se contributionem triplicem (dictam *pobor)* dare et exinde quaerebant opportunitatem, ut eum regno pellerent aut occiderent.

Prima autem die, quae erat post vigesimam Iulii, accesserunt ad eum duo ex principibus sacerdotum et dixerunt illi: „Ubi vis eamus, ut istos motus in republica pacificemus?“ At rex dixit illis: „Ite in civitatem ad Rokoszanos et dicite illis: rex dicit: *Libertatibus et immunitatibus vestris nullam feci vim neque facere intendo et si in quacunque re erratum est, corrigere volo*“. Et fecerunt principes sacerdotum, sicut constituit illis dominus, et hoc dixerunt Rokoszanis. Quibus illi responderunt satis arroganter dicentes: „Maior est auctoritas nostra quam maiestas regia. Nobis non licet vobiscum quidquam statuere“. Itaque male excepti ab ipsis principes sacerdotum et ignominia affecti unus ad regem reversus, alter vero non procul ab eis remansit. Quidam autem ex senatoribus homo nummis onustus milite potens accessit ad eos et ait illis: „Etiam si oportuerit me mori vobiscum, non vos negabo“.

Et fidentes his Rokoszani coeperunt iam audacius contra regem insurgere et quaerebant falsum testimonium contra eum et non potuerunt invenire.

Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: „Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?“ At Iesus dixit: „Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est; apud te facio Pascha cum discipulis meis“. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, et paraverunt Pascha.

Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo; vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur! bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: „Accipite et comedite; hoc est corpus meum“. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: „Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei“.

Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Iesus. „Omnes vos scandalum patie-

Novissime vero venerunt aliquot capita haereticorum et dixerunt: „Ecce fidefragus est, nam leges et iura nostra violat“. Nonnulli vero minoris notae catholici clamaverunt dicentes: „Incestas nuptias contraxit, et ideo turpissima morte condemnemus eum, ne eius error super nos et super fillios nostros redundet“. Alii vero nullis suis meritis suffulti, sed in sola malitia sua fundati cupientes multa bona regia occupare clamabant: „Multos natione Suedos utriusque sexus in aula sua fovet et illis beneficia confert, nos autem postponit“.

Principes vero Rokoszanorum calumniis afficientes regem coram senatoribus populi dixerunt: „Dominari nobis absolute intendit, ideoque de alio rege quam citissime opus est cogitare et istum regno spoliare aut occidere“. Multi vero tam ex senatorio quam ex equestri ordine viri, veri amatores pacis, publici et boni zelatores patriae dixerunt ad regem: „Nil respondes ad ea quae tibi isti obiciunt?“ Rex autem tacebat. At illi instabant dicentes: „Adiuramus te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es reus horum omnium, quae tibi isti obiciunt?“ Respondit illis rex et dixit: „Tamquam in latronem et sceleratum cum gladiis et tormentis insurrexerunt in me: quotidie per 19 annos eram vobiscum in regno hoc, illud foeliciter auspice Deo gubernans et nihil tale quidpiam in me moliri comprobastis. Hoc autem totum forte factum est, ut adimpleretur malorum hominum temeritas et malignitas erga nos, quam ab antiquo tempore in pectoribus suis nulla

mini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam“. Respondens autem Petrus, ait illi: „Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor“. Ait illi Iesus: „Amen dico tibi quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis“. Ait illi Petrus: „Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo“. Similiter et omnes discipuli dixerunt.

Tunc venit Iesus cum illis in villam quae dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis: „Sedete hic donec vadam illuc et orem“. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse. Tunc ait illis: „Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate mecum“.

Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens: „Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu“. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes; et dicit Petro: „Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma“. Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: „Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua“. Et venit iterum, et invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: „Dormite iam et requiescite; ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tra-

nostra causa fovebant potius a se ipsis quam a nobis laesi: verum tamen non sicut ego volo, sed sicut paci et tranquillitati publicae et nobis omnibus expedit, his assensum nostrum praebere parati sumus“.

Audientes autem haec senatores miserunt ad Rokoszanos dicentes: „Nos nullam invenimus causam in rege isto, ob quam aut morti tradi aut regno privari deberet“. Responderunt Rokoszani clamantes: „Reus est mortis: occidatur hic et alter in locum eius sufficiatur!“ Senatores autem illis dixerunt: „Quid enim mali facit?“ At illi magis exacerbati clamabant dicentes: „Occidatur hic et alter eligatur!“

Videns autem haec rex, qui erat semper patientissimus et tanquam agnus innocens, quod nil senatores apud eum proficerent, immo vero magis tumultus fieret in populo, consilio facto cum illis misit ad eos mandando serio et praecipiendo illis, „ut milites suos dimittant, turbas in regno et seditiones amplius non faciant, domos suos repetant, peccata in caelum clamantia ultra non accumulent damnaque hominibus intolerabilia et incomprehensibilia, quae in toto hoc amplissimo regno intulerunt, non amplius inferant, et me meosque senatores et equestris viros praecipuos ad impatientiam non provocent“.

Audientes autem eiusmodi mandatum Rokoszani miserunt ad regem et senatores dicentes: „Nobis non licet his mandatis obtemperare, sed nobis et reipublicae aliter prospicere et pro libertatibus nostris, si opus fuerit, occumbere“.

Et continuo illa nimia regis patientia saepissime laesa conversa est in furorem. Et conversus rex ad

detur in manus peccatorum. Surgite, eamus; ecce appropinquavit qui me tradet".

Adhuc eo loquente, ecce Iudas, unus de duodecim, venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum dedit illis signum, dicens: „Quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum". Et confestim accedens ad Iesum, dixit: „Ave, Rabbi". Et osculatus est eum. Dixitque illi Iesus: „Amice, ad quid venisti?" Tunc accesserunt, et manus iniecerunt in Iesum, et tenuerunt eum. Et ecce unus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam eius. Tunc ait illi: „Converte gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?"

In illa hora dixit Iesus turbis: „Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me; quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. Hoc autem totum factum est ut adimplerentur Scripturae prophetarum". Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham, principem sacerdotum, ubi scribae et seniores convenerant. Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus

milites suos dixit illius: „Surgite, eamus; ecce appropinquat hora, ut isti turbatores scelerum suorum poenas luant".

Tunc subito castra mota sunt et tormenta bellica accepta sunt et multi maturi consilii senatores ingenio et doctrina viri potentes qui cum rege erant, contra eos tamquam contra hostes patriae et turbatores pacis publicae et perduelles surrexerunt. Audientes vero Rokoszani de adventu inopinato regis, fugerunt. Senator autem ille plus aere quam virtute potens qui Rokoszanis suam operam in omnibus et fidem promisit, sciens iam prope cum exercitu invictissimo adesse regem, timuit valde et venit ad eum et dixit illi: „Etsi omnes scandalizati fuerint in te, rex serenissime, ego nunquam scandalizabor: immo si oportuerit me mori tecum, non te negabo". Respondit rex et dixit illi: „Amen dico tibi: Non amplius fido tibi, nam neque te Rokoszanis fidum neque mihi praestitisti: ideo antequam finem imponerem his tumultibus, multocies me negares: manere potius te domi tuae expedit quam nobiscum ire". Ille tamen sequebatur eum a longe, ut videret finem.

Tunc venit rex cum senatoribus suis et milite selectissimo sub civitatem quae dicitur Janowiec et ibi castra sua metatus est. Et venit ad Rokoszanos ad ripam fluminis Istula transnatantes qui coeperunt pavere et taedere et maesti esse dicentes: „Tristes sunt animae nostrae usque ad mortem: sustinete eum hic et vigilate nobiscum: ecce appropinquat hora, et nos capiemur a milite regio". Et progressi pusil-

intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent; et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt: „Hic dicit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud". Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: „Nihil respondes ad ea quae isti adversum te testificantur?" Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: „Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus, Filius Dei". Dicit illi Iesus: „Tu dixisti; verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli". Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: „Blasphemavit; quid vobis videtur?" At illi respondentes dixerunt: „Reus est mortis".

Tunc expuerunt in faciem eius, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: „Prophetiza nobis, Christe; quis est qui te percussit?"

Petrus vero sedebat foris in atrio; et accessit ad eum una ancilla, dicens: „Et tu cum Iesu Galilaeo eras". At ille negavit coram omnibus, dicens: „Nescio quid dicis". Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi: „Et hic erat cum Iesu Nazareno". Et iterum negavit cum iuramento: „Quia non novi hominem". Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro: „Vere et tu

lum capit principes Rokoszanorum, milites illorum dimisit. Scriptum est enim: *Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis*. Tunc videns Diabolus, qui contra regem multas protulit blasphemias, nulla ductus poenitentia recessit ab eis et fuga sibi consuluit.

Et milites tenentes eos duxerunt ad regem; qui introgressi dixerunt: „Ave, rex noster“ et osculati sunt eum. Multi autem clamaverunt dicentes: „Blasphemaverunt. Et nunc omnes audistis blasphemiam. Quid vobis videtur?“ At omnes clamaverunt dicentes: „Ad comitia regni generalia iudicandi remittantur!“ Senator vero ille onustus taleris stabat a longe bona ecclesiastica depopulans. Et accesserunt ad eum multi ex castris regiis dicentes illi: „Et tu cum Rokoszanis eras“. At ille negavit coram omnibus dicens: „Nescio quid dicitis“. Et iterum dixerunt illi: „Vere tu ex illis es, nam et loquela tua te manifestum facit“. At ille coepit detestari et iurare, quia non novisset homines: et recordatus est verbi regii, quod dixerat paulo ante illi. Nec flevit amare.

Rex vero victoria obtenta consilium inivit cum senatoribus suis de pace et tranquillitate huius amplissimi regni, quae ex illa hora facta est cum fideiussione et assecuratione captivorum. Praetereuntes autem multi moventes capita sua improperabant eis dicentes: „Vah, gratias nostras. Polonas libertates pristinas restituistis et ab iugo servitutis absoluti domini vindicastis“. Reliqui vero illudendo dicebant: „Alios antea defendebant, se ipsos autem nunc non possunt defendere“.

ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit". Tunc coepit detestari et iurare, quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat: „Prius quam gallus cantet, ter me negabis". Et egressus foras, flevit amare.

Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta eius, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes servabant eum. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: „Hic est Iesus, rex Iudaeorum". Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, et unus a sinistris. Praetereuntes autem blasphemabat eum, moventes capita sua, et dicentes: „Vah qui destruis templum Dei et in triduo illud reaedificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce". Similiter et principes sacerdotum, illudentes cum scribis et senioribus, dicebant: „Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere; si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum". Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt; et multa

Milites vero, quoniam in suam fidem hos turbatores acceperunt, dixerunt: „Utinam remanerent in castris regiis vincti — erant enim digni — et in carceribus usque ad comitia regni generalia detineantur". Quibus rex facile concessit et ad petitionem militum dimisit eos. Et qui vidit haec, testimonium perhibuit et verum est testimonium eius.

Discedens autem rex versus Cracoviam cum senatoribus suis glorificabant Deum omnes dicentes: „Vere Dominus Deus noster iustus es et misericors". Multi autem amatores pacis publicae percutientes pectora sua et laudantes Deum in suas revertebantur domos. Erant autem ibi et amici et uxores ipsorum, qui sequebantur eos a longe lacrimantes et plorantes super miseriam ipsorum; sed omnes tandem videbunt eum quem transfixerunt.

Qui tot passus es ab istis Rokoszanis, rex patientissime, miserere nobis.

De rustico et philosopho.

Philosophus cum hieme quadam ob maximam nivem, quae omnia viarum vestigia occluserat et texerat, a recto itinere equitando paululum aberrasset, tum rusticus comes acriter eum castigare et obiurgare coepit dicens: „Proh tu artium magister es et a vero itinere deviasti et viam nescis?" Arbitrabatur enim hebes ille rusticus, cum philosophus esset, quem artium magistrum vocant, omnes vias ei cognitas esse, immo et calceos eum suere posse arbitrabatur.

corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terrae motu et quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: „Vere Filius Dei erat iste".

De ebrio miraculum operante.

Solebat rusticus vina Rhenensia ad urbes devehere. Accidit autem, ut amicis quibusdam in publico hospitio gratificaturus aliquot vini mensuras ex dolio deprompserit. Quare cum postridie puteum quendam praeterveheretur, dolium ex hoc sibi replendum esse censuit. In quo cum occupatus iam esset, interveniunt nonnulli ex eoque quaerunt, quid istic rerum ageret. Tum rusticus: „Ego modo, inquit, Christi vices iam obeo: ex aqua enim vinum conficio".

De Thalete astrologo.

Ardua forte Thales caeli dum sidera lustrat,
in foveam gressu praecipitante ruit.
Hunc anus ut quaedam delapsum rustica vidit,
quae vitreo liquidas fonte petebat aquas,
sic superilludens cum pervenisset ad ipsum,
adloquitur quatiens voce tremente caput:
„Astra quid inspectas caeli sublimia, stulte,
nec, tibi quae prosint inferiora, vides?
Dumque futura studes aliis praedicere fata,
Cernere quae iacent non potes ante pedes?"



MURES

Coactum olim quum senatus murius
Deliberaret, saeva quo possent modo
Cavere felis furta, et insidias graves,
Decrevit unus, collo ut adversarii
Suspenderent ex aere tintinnabulum,
Cuius soni illum adesse persentiscerent.
Probare pro se quisque consilium; et statim
Coepere pedibus ire in hanc sententiam.
Tum ab sede surgens unus ex primoribus,
Cui cana vetulas barba velabat genas,
Manu silentium imperans, Mihi quoque

Probatur, ut cui maxime, haec sententia:
Sed oro vos, quis, inquit, ex nobis, patres,
Feli ausit alligare tintinnabulum?
Carent periculosa consilia exitu.

De sciolo.

Praesidebat in convivio negotiatorum philosophus quidam: adhibiti sunt de industria, qui hominem promptum et confidentem rogatiunculis exagitarent. Ille ad omnia, et quidem serio, respondebat. Tandem inter quaestiones hanc proposuit quidam: „Num recte faceret qui pactus lactis ovilli duo dolia, lac redderet gallinaceum?“ Illi nihil cunctatus distinxit: „Si lac, inquit, gallinaceum utilius sit illi, cui redditur, quam ovillum, satisfecit, qui reddidit“. Risus omnium consecutus est.

De rustico et nauta.

Rusticus ex nauta quaesivit: „Ubi tuus, eia,
mortuus est genitor?“ Mox ait ille: „Mari“.
„Qua periit sed avus?“ „Mari et ille“. „Ubinam tuus ille
Quaeso atavus?“ — „Tumido, scilicet ille mari“.
„Et tu non metuis, pereasne ingressus in illo?“
Talia quaerenti navita rursus ait:
„Quaeso, tuus pater est ubi mortuus?“ Ille: „Toro“. At
namque avus ac atavus?“ — „Lecto obiere suo“.
„Et tamen haud metuis, ne tu moriaris in illo
lecto, ad quem toties ipse redire soles?
Qui vel ubi moriare, parum differre putabis
quaelibet ad caelum mors satis apta via est“.

INVITATIO AD COENAM

A. Dabis veniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quoties cupio, te revisere.

C. Ita demum tibi ignoscam, si hodie apud me coenes. Ea conditione purgatus mihi eris, si vesperi ad coenam venias.

A. Haud iniquas pacis leges praescribis, Christiane: quare haud invitus facium (Equidem faciam volens. Istud quidem fecero perlubenter. Haud gravate faciam. Hic sane non me praebebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo faciam lubenti).

C. Laudo tuam facilitatem, et hac in re, et in caeteris omnibus.

A. Sic soleo amicis obsequi, praesertim non iniqua petentibus. Ridiculum: an tu me recusaturum putabas oblatum, quod ultro etiam erat rogandum?

C. Age, at cave ne me deluseris (Cave fallas. Cave spem frustra foveam. Cave luseris expectantem. Cave mihi verba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me vana spe lactes).

A. Nihil opus iureiurando. In caeteris, in aliis, time perfidiam; hac in re non fallam. Sed heus tu, cave quidquam paraveris praeter quotidiana: mea causa diem festum nolo. Scis, me convivam minime edacem, bibacem multo minus. Nosti enim, me convivam non multi cibi, sed ioci plurimi.

C. Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica coena excipiam, aut fortasse frugaliore.

A. Imo Diogenica, si me delectare voles.

C. Certe Platonica coena te excipiam, in qua multum sit literatarum fabularum, cibi minimum, cuius voluptas duret etiam in posterum diem: alioqui qui prolixe fuerit acceptus, fortassis eo die suaviter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui coenabat, unam voluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisque philosophicis: alteram postridie, quod nec capitis gravedinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebat etiam suaviter ex condimento coenae pridianae.

A. Placet, fiat ut mones.

C. Tu vide, omnes curas tuas, ac rugas etiam istas, domi relinquas. Huc praeter nugas et risum nihil adferas, et ut inquit Iuvenalis,

Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen.

A. Quid? literas mecum venire non vis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes.

C. Tetricas Musas una cum negotiis domi claudas. Blandas Camoenas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepores, ridicula omnia tecum adducito.

A. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter coenabimus, et erimus boni socii. *Inelegantium elegantiae sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem.*

C. Quo nunc properas?

A. Ad generum meum.

C. Quid illuc? quid eo? quid illo?

A. Audio nescio quid turbae inter eos natum, ut redigam eos in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam.

C. Benigne facis; quanquam nihil te opus esse arbitror: nam ipsi inter se melius hoc bellum composuerint.

A. Fortassis et induciae iam indictae sunt; postea de pacis legibus agetur. Sed nunquid me aliud vis?

C. Vocabo te per puerum meum.

A. Ubi voles, domi ero. Bone vale.

C. Bene sit tibi. Fac hic ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad coenam Augustinum, qui mihi hodie, ut scis, coenam condixit.

De mendico.

Alius quidam ab Alberto Saxoniae duce petivit denarium propter cognationem, qua invicem sibi essent devincti. Quaesivit dux, unde illa cognatio intercederet? Respondit ille: „Ab Adamo nostro omnium parente“. Huic Dux: „Vade, inquit, si enim talibus cognatis omnibus et singulis denarium vellem dare, nec ducatus, nec patrimonium meum sufficeret“.

II. BIBLIOGRAPHIA

Tractatum de Vergilii vita et operibus composuit Vincentius Ogrodziński, visitator gymnasiorum palatinatus Silesii, cuius non humanitatem tantum adamavi, sed et doctrinam solidam et elegantem in deliciis habeo. Meliorem sane ducem ad cognoscendum Maronem vix imaginari licet: enarrat enim et argumenta, indicat poematum fontes, extricat denique quaestiones difficillimas de tempore compositionis et de artificiis, quibus in carminibus condendis usus est Maro. Omnia haec Ogrodziński exponit suaviter simul ac dilucide, ubique afferens exempla amplaeque eruditionis documenta. Ille quidem poetarum allegat testimonia — editor vero addidit pictorum commentarios in Vergilii opera, commentarios non minus egregios quam Donati aut Servii, utpote ex vivida poeseos perceptione natos. Poloni ad hoc tempus non habuimus Vergilii poesim imaguneulis illustratam: quamquam a me abest, ut operam meam hac in re positam perfectam omnibusque numeris absolutam praedicem, nova me exemplo edendi principia indicasse et qui ausis meis minus favent, libenter agnoscent. Nihil dicam de modico huius aliorumque libellorum pretio solutionisque facilitate, cum unicuique pro rata parte 1 aurei pol. aut saltem 50 grossorum mensis initio pensa emere liceat librum.

III. V E R S A C R U M

ADAMI MICKIEWICZ, THADDAEIDOS X

Illae, quae primo dilapsae, more nigrarum
alituum, nebulae pennis sublime levantur,
coguntur magis atque magis: decurrit Apollo
dimidiumque videt caelum, quod nubibus atrum,
unum nubilum erat. Saeva iactata procella
densatur magis ac magis, et dependet ab alto
horrida moles. Quae, dum de aethere paene revulsa
flectitur in terram, vel panditur, ocius intro
ventos coniunctos, velum quasi grande, recepit,
iamque meridie ad occasum medio volat orbe.
Quanta silentia! Nam surdus, quasi conticuisset,
stabat (cui vocem Pavor intercluserat) aër.
Arvaque procumbentia humi semel, atque iterum quae
quassarant flavas sursum, ut Neptunia, aristas,
tum placida astabant, immotaque cuncta silebant,
et culmis caelos eretis aspiciebant.
Populi et hae frondeae salices, quae praeficae instar,
bracchia nexuerant, passis quoque crinibus albis
prociderant, tum mortuae iam, mutaeque dolore
stabant, ut Niobe Sipyli; sed populus una,
cui „tremulae" est nomen, canam frondem quatiebat.
Quodque redire solet pigrum, tum confluit ipsum,
iamque domos fugit et sua pabula cuncta reliquit.
Taurus arat pede, cornu agros, armentaque tota
terret mugitibus, terret mala vaticinandus;

saepius a vacca tolluntur lumina magna:
obstupuit; gemitusque imo de pectore ducens
os aperit late. Verresque vagatur in arvis,
grundit et os ducit, ducit frumenta parata.
Delituit volucris sub tecto, in silva et in herba;
cornicum una caterva lacus circumvolitavit:
quae presso pede eunt, convertunt lumina nigra
nigras ad nubes, et linguas exseruerunt
faucibus e siccis, et pennas explicuerunt:
praestolantur aquis; ipsae quoque prospicientes
imbres non tenues, tum demum nube volucri
illico eunt silvae. Volucrumque volatibus audax
non imitabilibus, nubes transfigit hirundo
ultima caeruleas uti telum, uti glans ruit alto.
Tunc etiam tellus fulvo micat Hesperia auro;
sed nubes umbras, umbras uti retia tendens
insequitur luces reliquas, quasi prendere vellet
ante occasum solem, et nigris excipit umbris.
Non semel ex imo stridit tum saeva procella,
ex alia volat excutiens alia aethere guttas,
magnas et liquidas, pluvias uti grandinis imbrem.
Una se subito coniunctae corripuerunt,
rixanturque, rotant, gyris stridentibus errant
in lacubus, turbant lacuum quoque gurgitis imum,
prata penetrarunt, in vimine, gramine strident,
rumpuntur rami, in ventos volat ac rotat herba
stricta, uti cincinnis vulsi manibus modo plenis
commixti crines; venti strident ululantes,
arvis volvuntur, sculpunt, sulcos quoque scindunt,
os alii faciunt vento, qui ruptus ab arvo

aggeris instar, et hinc velut ardua pyramis ortus,
vertice vertit humum, vel ab unguibus obicit imis
pulverem ad astra, latus mutat, male guttura pandit,
ingentique tubae, tempestatem canit, inflans.
Dum simul omnibus his cum turbis pulveris, undae,
culmorum, ramorum, evulsae frondis et herbae,
venti irrumpentes silvae penitus sonuerunt
ursi more rudentis.

At interea crepit imber,
creber, per cribri quasi densa foramina cretus;
fulmina mugivere, et in unum confluit umor;
tum tensis filis, promissis caela capillis
vincit humo, tum continuis lacubus cadit altis.
Iamque solum et caelum sunt imbribus obruta largis,
nocte nigra, tenebris nigris nigriore procella.
Dissilit interdum caelum et Iovis emicat ignis:
Iuppiter apparet, non nigri luminis instar,
et fugit in caelum nimbo circumdatus atro
caelorum volvens violenter fulmine valvas.
Rursus et agmina aquae tempestatesque tumescunt,
accrescunt crassae, spissae tenebrae manifestae.
Atque iterum sedantur aquae tonitrusque Tonantis;
iamque resurgit, mugit, et umidus insonat imber.
Tantisper, dum cuncta quierunt; solaque tectis
obstrepit arbor et hae pluviae, placideque susurrant.

I. ASTRORIVINUS

IV. CHRONICA

Plurimi Palaestritae a me postularunt, ut novis animis morem gerens „Chronica“ conderem. Possim iocando respondere me χρονικά, i. e. „temporalia“, despicere, cum pro immortalitate, τῷ αἰῶνι, laborem et contendam. Ita sane res se habet: facile creditis mihi non vacare tempus ad acta diurna vertenda enotandaque ea quae memoria videntur digna.

Attamen ne prorsus videar abhorrere a meorum temporum hominibus qui libris fere derelictis sola acta diurna lectitant, quaedam ex uberrima, quam dies secum fert, materie eligam Latioque sermone proponam. Novi nihil hic invenietis, nisi id quod iamdudum vernacula legistis lingua, nunc Acta diurna a I. Caesare condita repetere videantur lingua.

Nullum vero dignius potest esse initium horum Chronicorum quam mentio de praeclaro facinore aëronautarum heroicorum F r a n c i s c i Ż w i r k o n i s, centurionis exercitus Poloni, et S t a n i s l a i W i g u r a e, technici artificis. Żwirko in aëronautarum concursu omnium fere Europae nationum victor evasit: 7500 chiliometra pervolavit multasque urbes visitavit, ut Varsoviam, Cracoviam, Vindobonam, Romam, Hamburgum: Berolinum agonis erat meta, ubi in stadio aëronautico milia millies spectatorum ovantium victorem exspectabant. Żwirkone metam tangente labarum Polonum suspenderunt hymnumque nostrum intonarunt. Victoria haec eo maior erat

censenda, quod machina qua usus est victor (eius signum est RWD 6 — acrostichon nominum constructorum machinae, ex quibus Wigura comes erat Żwirkonis) tota erat Polona.

At nil in mortalibus omni ex parte beatum. Vix gratulati sumus victori, cum telegrammata nuntium de Żwirkonis Wiguraeque morte attulerunt. Duas septimanas post triumphum Berolinensem, die 11 septembris, furens tempestas evertit machinam impegitque in arborem, ut in frustula fere confringeretur: accidit hoc in vico Cierlisko prope Tessinum Bohemorum. Ambo aëronautae mortem obierunt — mortem profecto gloriosam, quia pro nomine Polono augendo atque illustrando perpessam. „Dulce et decorum est pro patria mori", admodum vere dixit Horatius. Nec deerunt Poloni qui horum vestigia prementes heroum regni aërei dominationem appetant et occupent.

Post longam interruptionem praesidens reipublicae Polonae decreto convocavit c o m i t i a delegatorum, qui de pecuniis a fisco recuperandis expendendisque deliberarent. Ex his quae J. Zawadzki, minister fisco publico praepositus, egregia oratione docuit, elucet nos feliciore quam alios nationes Europae fortuna uti, cum et aurea nummi nostri paritas sit salva, redditusque publici sufficiant, ut sine aere alieno contracto expensa solvamus.

V. SATURA LANX

De duobus sutoribus.

Varsoviae duo erant sutores, ex quibus unus cum dives esset sine liberis, parcissimus tamen erat: alter vero se familiamque suam — plures enim habebat liberos — cotidianis laboribus enutrire cogebatur, laute tamen pro facultatibus et splendide epulabatur. Et cum de mensa ad laborem rediret, laeto animo semper patrocinium et auxilium sancti Nicolai invocabat. Quae verba cum dives crebro audiret, invidia accensus irridebat pauperem et dicebat: „Adiuvet me David“. Hoc enim nomine illic ditissimus Iudaeus vocabatur. Qui transiens propter divitis sutrinam cum qua se existimatione sutor faceret, animadverteret prae sancto Nicolao, quem alter venerabatur, cogitavit, quo pacto se sancto Nicolao munificentiorem declararet. Quare sutori se invocanti in alterius contumeliam anserem assum (in cuius ventrem clam decem aureos imposuerat) donavit. Ille munus pauperi demonstravit Iudaeumque sancto Nicolao praetulit. Cui vicinus alacri fronte respondit: „Quid enim gloriaris de ansere? Sanctus Nicolaus donabit me non ansere, sed pingui bove. At quoniam pluris facis pecunias quam anserem, si vis, ego emam illum“. Dives accepit condicionem atque paucis nummis anserem vendidit. Sutor itaque implorato more solito sancto Nicolao anserem mensae apposuit et inventis aureis confestim ad forum boarium properavit pinguissimumque taurum mercatus est. Et cum domum

duceret, obvius venit dives, tantamque fortunam admiratus quaesivit unde aut quo munere taurus obvenisset. Respondit pauper esse munus sancti Nicolai.

Cum paulo post Iudaeus dives aedes divitis praeteriret et an anser sapuisset quaereret, respondit ille vicino se sutori vendidisse. Cui cum Iudaeus rem declararet, convenit dives pauperem sutorem apud praetorem atque decem aureos postulavit, quoniam anserem, non aureos vendidisset. Sed praetor cognita rei gestae veritate pauperem absolvit atque alterum viginti aureis mulctavit, quod sanctum Nicolaum contempsisset.

De Hermanno Buschio.

Hermannus Buschius egregius poeta et professor eloquentiae Academiae Marburgensis fuit. Is forte fortuna per forum descendens magnam turbam civium praeteriit, et quia domestico habitu indutus erat, nemo debitum honorem ei detulit. Quod videns Buchius statim domum reversus est, et deposita veste tenui toga admodum pulchra se induit forumque e vestigio revisit. Ibi tum omnes assurexerunt, omnes capita retexerunt, omnes reverentiae signa dederunt. At vero doctus ille vir nihil tale moratus est, sed iterum se domum recepit et togam pedibus conculcavit dicens: „Es tu Buschius vel ego sum?“ Vehementer offensus est excellens vir praepostero hominum iudicio, quos animadvertabat non homini, sed vesti deferre honorem.

De superstitione Rusticorum.

Vetus est superstitio et falsa credulitas rusticorum, ut si cui mane lepus transverso itinere obvius venerit, malum aliquid illi hoc die portendi. Hoc cum cuidam rustico in silvam pro lignis afferendis cum servo equisque plaustrariis properanti contigisset, reduxit ille equos. Postridie cum rusticus iterum exiret, ut pridie, vidit servus eius ante silvam lupum dominoque indicavit. Ad hoc iste: „Fortuna est et optimum augurium, teste etiam Plinio". Paulo post, cum equi passim et sine custodia in pascuis irent, venit lupus atque unum ex illis supplantans discerpere coepit. Quod cum vidisset servus, mox dominum vocavit fortunam esse in equo dicens, quoniam lupus caput in ventrem equi imposuisset. Quod rusticus videns atque falso augurio deceptus, factus est omnium fabula, atque simul, ut dici solet veteri proverbio, risum passus est et damnum.

AENIGMATA


1. Ex 25 igniariis (quae nostrates dicunt 'zapałki') composita vides octo quadrata:



Deme his 25 igniariis 11 ita, ut cernas tantum modo octo.

IOSEPHUS WITKOWSKI, cl. VII
Collegii Mariani Pelplinensis.

2. Logogryphus.



1. vocalis
2. praepositio
3. leve scutum
4. vas ad cibos
5. aliter membrum
6. aliter attentissimus
7. aliter iucunditas
8. aliter derelictio
9. aliter virtus dolores perferendi
10. amictus in itinere usitatus
11. ἄμπελος latine
12. adverbium
13. consonans

3. Codex mutilatus

Nec Homeri codices illaesi ad nos perdurarunt. Exemplo sint sequentes versus ultimi Odysseae libri, ubi perspicillorum ope hae solae distinguuntur litterae:

ὡς . . . . θη . . . η, ὁ . ’ ἐπ . . θ . . ., χαῖρε ὁ . . . . .
ὁ . . . . δ’ αὖ κ . . . . . . θε . ε . . φο . ἑ . . . σ . . ἕ . η . . ν
. . . . . ς ’Αθ . . . η, κ . . . η Δ . . . αἰγ . . . . . .

Atqui cum sitis philologi, enixe oro, ut critica coniecturali usi ubique punctis litteras ita substituatis, ut genuina versuum sententia recuperetur.

STANISLAUS SIG. SZCZYRSKI,
classis VII gymnasii Tarnopolitani

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA SCIENTIFICA, LEOPOLI, VIA ARMENIORUM 8
DIRIGEBAT R. GANSZYNIEC, LEOPOLI, AD VIAM ANDREAE POTOCKI 20

Palaestra prodit semel in mense, exceptis Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem. — Październik — PKO Warszawa 154.894